



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

IV. Der Bischof Dieterich und das Domcapitel zu Brandenburg vereignen dem Cistercienser Kloster zu Ziesar zwei vormals der Pfarre gehörige Hufen Landes und die Seemühle, welche die Loderpapien ihnen ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

IV. Der Bischof Dieterich und das Domcapitel zu Brandenburg verzeignen dem Cistercienser Kloster zu Ziesar zwei vormals der Pfarre gehörige Hufen Landes und die Seemühle, welche die Loderpapen ihnen zu diesem Zwecke abgekauft haben, am 5. Februar 1361.

In nomini Domini. Amen. Ea, quae aguntur in tempore, nisi scripturae testimonio perhennentur, sepius ab hominum memoria labuntur cum eodem. Hinc est, quod nos, Thidericus, dei gratia ecclesiae Brand. episcopus, ad universorum, praesentium et futurorum, notitiam praesentibus cupimus devenire, quod discreti viri, Thylo de Nedeliz, Michael Brifiz, Johannes et Martin Loderpapen ad voluntatem et consensum discreti viri, domini Andreae Loderpapen, in Wormeliz plebani, de bonis et pecunia Thiderici Loderpapen, ejusdem domini Andreae quondam patris bonae memoriae suorumque haeredum, ob eorundem omnium jam dictorum suorumque progenitorum et haeredum animarum salutem et remedium, rite et rationabiliter a nobis comparaverunt et emerunt nosque de certis scientia, consilio et consensu honorabilium virorum, dominorum Thiderici, praepositi, Hinrici, prioris, totiusque capituli nostrae ecclesiae Brandenburgensis, iusto emptiois et venditionis contractu vendidimus eisdem pro viginti tribus marcis Brand. argenti, quorum novem olim praedeccessoris nostri per sanctimonialia infra scriptas Conrado de Golfow famulo bonae memoriae, a quo infra scripti molendini pactum quondam emerunt, reliquae autem XXXIII marcae nobis sunt solutae et in usum ecclesiae nostrae jam sunt conversae, Duos mansos nostros in Seyeser, olim ad dotem pertinentes, quos nos ab haeredibus domini Ludolphi de Glitenberch bonae memoriae quondam militis, emimus, nec non molendinum nostrum, quod dicitur Seemole, ibidem cum omni pacto, censu et redditibus eorundem manforum et molendini debitis et consuets nec non cum omni jure commodo et utilitate, quibus nos et nostri praedeccessores hactenus eos et id molendinum habuerunt, ad usum et utilitatem perhennem religiosarum dominarum abbatissae, priorissae totiusque conventus sanctimonialium ordinis Cisterc. in Seyesere, quibus praedicti emptores praedictos mansos et molendinum cum pacto, censu, redditibus, jure, commodo et utilitate in salutem et remedium suorum praedictam solemniter et donatione solemniter donaverunt titulo proprietatis post mortem praefati domini Andreae, plebani in Wormeliz, qui pactum, censum et redditus antedictos cum omni jure et utilitate praedictis pro usu et utilitate sua, quamdiu vixerit, possidebit et habebit, perpetuo possidendos et habendos, volentes esse ipsis et eorum haeredibus praedictorum omnium prae omnibus impetentibus vera warandia atque iusta conditionibus et articulis his adjectis: Post mortem domini Andreae praedicti, dominae abbatissa, priorissa praedictae, quae pro tempore fuerint, primo et ante omnia de praedictis redditibus singulis annis pro usu et personis suis dimidium chorum filiginis, ac quaelibet alia sanctimonialia praedictarum pro usu et persona sua, duas libras candelarum de cepo percipient et habebunt, de residuis autem redditibus lampadem, in earum dormitorio noctis semper tempore ardentem, nec non lumina in choro, refectorio et in aliis locis, ubi necesse sunt, accendenda comparabunt et habebunt. Item post mortem praedictam abbatissa, priorissa, sanctimoniales praedicti conventus pro hujus donationis beneficio in recompensam singulis annis peragent in singulis eorum anniversariis memoriam Thiderici Loderpapen, Ghesen, uxoris suae, nec non domini Andreae, Hinrici, Szabelli et Olrici, filiorum, et progenitorum ac haeredum suorum cum vigiliis, missis et commendationibus solemniter et devote. Insuper celebrabunt cum solemnitate divinorum festa Martini, Livini, Leonardi, Nicolai, Valentini, Margaretae et Catharinae martyrum et

confessorum et virginum beatarum. Item si quod abbat, monasterium dictarum sanctimonialium in Seyeser aliquando in futurum quocunque contigerit redigi ad nihilum seu annullari, tunc saepe dicti mansi et molendinum cum suis redditibus, jure et proprietate praedictis ad praepositum et capitulum ecclesiae Brand. pro dictis memoria et festis peragendis pertinebunt et devolventur. Si autem ipsum monasterium aliquando in futurum de loco Seyeser ad alium locum contingit quocunque etiam casu mutari vel transferri, mansi vel molendinum cum praedictis omnibus transibunt omni jure et proprietate cum eodem apud sanctimoniales remanendo. Nos igitur Thidericus episcopus praedictos duos mansos et molendinum cum pactu, censu et aliis redditibus suis nec non cum jure, commodo et utilitate omnibus praedictis de consilio et consensu dominorum praedictorum sic vendendo appropriavimus et praesentibus appropriamus, supra dictis dominabus abbatissae, priorissae et sanctimonialibus, quae utique coram nobis ad memoriam anniversariorum ac celebrationem festorum praedictorum nomine suo et suarum succedentium astrixerunt, renunciantes pro nobis solemniter et nostris successoribus omni juri, quod nobis vel ipsis nomine ecclesiae nostrae competat in eisdem vel quolibet competere poterit in futurum. In testimonium omnium etc. Datum Seyesere anno domini M. CCC. LXI ipso die Agathae virginis, praesentibus honorabilibus viris et discretis domini Nicolao Dochow, nostri officiali, Hinrico, plebano in Teltow, nostro notario, Christiano de Nuenburch in Vorland et Johanne Vicenitz, altaritis, nostris capellanis nec non strenuis et validis viris Henningo de Luderitz milite, Gerharde de Byeren, nostro advocato, Gherkino Koten, Johanne et Conrado Vogelsak, nostris fidelibus et vassallis et quam pluribus aliis fide dignis.

Aus einem Brandenburger Copialbuche.

V. Das Cistercienser Nonnenkloster in Ziesar nimmt den Probst des Klosters in Zehdenick in seine geistliche Genossenschaft auf, am 23. April 1363.

In nomine domini. Amen. Nos, Sophia, dei gratia abbatissa in Syeser, totumque collegium sanctimonialium ibidem, per presens scriptum publice protestamur, quod nos contulimus honorabili ac discreto viro, domino Nicolao, praeposito dominarum in Cedenik, plenam fraternitatem ac communionem omnium bonorum: jejuniorum, vigiliarum, castigationum, ceterorum bonorum, quae apud nos ac apud octoginta monasteria Cisterciensis ordinis operari die noctuque dignabitur clementia salvatoris, adjicientes insuper tum, cum obitus vester nostro capitulo fuerit intimatus, pro vobis fiet id, quod pro fratribus et pro sororibus nostris fieri est consuetum. Datum in Syeser anno domini M^o. CCC^o. LXIII^o. in die Georgii martiris nostro sub sigillo.

Nach dem Originale im Brandenburger Domarchiv aus Gesters Abschrift.